









1752.

1. Brueckmann, Dr. Georgius: De fiduciis omnibus ejusque legatis probational
2. Schorckius, Hieronymus Fiscaarius: Utrum conditio, qua certa religio in subjecto requiritur pro turpi vel honeste n't habenda?
3. Schorck, Hieronymus Fiscaarius, Facult. iuridical Socauer  
l. b. s. / ad Lec. cursoriam et obs. mag. Wilhelm Antonii.  
36 Wzede inq. (ad) Fac. iur. decanu: Progranno, Johann Wilhelm  
4. Schorck, (mag. Wilhelm), Fiscaarius: De statu hominum.  
1753.

1. Brueckmann, Dr. Georg: De eo, quod iustitiae in exceptione circa titulam pro dederit, et accessionem possessionis.
2. Poeth, Fisca. Wilhelmus: De exceptionibus rei iudicatae executionem impetrantibus.
3. Kerner, Johannes Fiscaarius: Triga in aliorum forenium in causis tum civilibus, tum criminalibus.

1783

4. Henne, Andolph Christoph: De facultate sibi ipsi  
46. ius occidendi sine justicia.  
47. Lubly, Hieronymus: De probis ipsi dominis.
5. Rumpel, Sigismund Fidelis: De usus fructuario, fructuum  
domini.
6. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. iuridical Decanus.  
1. b. 1. (ad Dissertationem in any. do. Fidelis' Keumeri  
invitata).
7. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. iuridical Decanus.  
1. b. 2. (ad Dissertationem in any. Joannis Friderici Lats.  
invitata).
8. Schorch, Hieronymus Fridericus 1. b. 3. (ad Dissertationem  
in any. Friderici Gartillii Corinthi invitata)
9. Schorch, Hieronymus Fridericus 1. b. 4. (ad Dissertationem  
in any. Sigismundi Fidelis' Rumpel invitata).
10. Spitz, Dr. Christophorus, Facult. iuridical Decanus:

ad lec. curs. et dissertationem in ag. Hieronymi  
Brückneri dabendis invitata

1754.

1. Henry, August Christoph : De legitimatione libero.  
rum per subsequens matrimonium.
2. Spitz, Dr. Christoph, Facult. iuridice decanus l. b. o.  
(ad diss. in ag. Iacobi Samuelis Vogelii invitata)
3. Streckens, Cons. Wohl : Deco, quod circos iuri iugantiam  
justum est.
4. Strecker, Cons. W. Thelwe : Facult. iuridice decanus?  
— et dissertationem in ag. s. Iacobi Samueli Vogelii  
Kettwile . . . habendum . . . invitata.

1755.

1. Spitz, Dr. Christophorus : Dr. Decanus facultatis iuridice  
lectori benevoli s. p. v. (ad disputationem in ag.  
Iacobi Alexanti Bernardi Streckeri invitata).

2<sup>a</sup>3. Strocker, Ioseph Alexander Bernardus: De jure  
clericorum singularibus. 2 Prempf.

1756 Gentz, Jo. Bapt., lib. 6. de: De metaria filii in iure  
obviciante

18 Henne, Parolph Christopher: De expositione infantum  
ex iure iuris naturalis Romani atque Germanicæ.

Henne, Parolph Christopher: De tabula I. R. principiar.

1. Henne, Parolph Christopher: De eo, quod inter est  
et iura appropinquationis territoriorum Germaniae, cosmæ  
relationem.

3. Rheuenthielius ab Richelbey, Trauersus Antonius, Co  
mes de: De eligendo Romanorum rege.

4<sup>a</sup> Schorch, Hieronymus Prætorius, Facult. iur. Dacæ  
Decanus 1. b. s. (ad Dissertacionem in ang. Georgii

Immanuelis Hugelii invitata) 4<sup>b</sup>  
Schach, Hieronymus Prætorius, Facult. iur. Decanus: Dissertacionem in ang.

5. Schorch, Hieronymus Prætorius, Facult. iur. Decan

1. b. s. (ad Dissertacionem in ang. Iohann Zacharias  
Schoeleri invitata).

1757.

1. Birckenstock, Jacobus Engelbertus: Dissertation in ang.  
jura. Dis. 1757. Et. ltr. II fundatum.

2. Schorsch, Hieronimus Fidericus, Facult. iuris. ex-oc-  
cans 1.6.1. (ad Dissertationem in ang. Lacti Engelber-  
tii Birckenstocki invitata).

1758.

1. Hommel, Rud. Christoph: De cessione bonorum libris  
& parentibus et heredibus facta.

2. Schorsch, Christian Fider. Samuel: De fidei  
censu.

3. Strecken, Conrad Wilhelm, Fac. iur. ex-occa-  
sione, Dissertation in ang. Christiani Fidic.  
Immanuelis Schorschis praesertim.







DISSE<sup>22</sup>  
T  
RIBVS CLERICORVM  
SINGVLARIBVS,

DE

1755,2

IVRIBVS CLERICORVM  
SINGVLARIBVS,

QVAM

EX DECRETO ET AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI

SVB PRAESIDIO ALTISSIMI  
PRO GRADV DOCTORALI  
EIQUE ANNEXIS PRIVILEGIIS, HONORIBVS  
AC IMMVNITATIBVS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

A V C T O R

JOANNES ALEXANDER BERNARDVS  
STRECKER *Erfordiensis*

ECCLESIAE COLLEGIATAE AD B. M. V.  
CANONICVS DOMICELLARIS

IN AUDITORIO ICTORVM MAIORI

*Die XXVI. Maii M DCC LV.*

HORIS CONSVENTIS.

ERFORDIAE

Litteris HERINGIANIS ACAD. TYPOGR.

D E O  
TER OPTIMO MAXIMO  
TOTIQVE CLERICORVM  
ORDINI

INAVGVRALEM HANC SACRAM ESSE  
IVBET

A V C T O R.

AVGVSTI 1550  
MAGI  
CLERICORVM  
ORDINI  
IN AVGVRALEM HANC SACRAM ESSE  
IVBET  
A V C T O R.



*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO INAVGVRALIS CANONICO-  
IVRIDICA

DE  
**IVRIBVS CLERICORVM**  
SINGVLARIBVS.

S. I.



Id Mores saeculi nostri ferunt, ut, qui- *Hujus me-*  
bus Dissertationis elaborandæ & eden- *teria tra-*  
dæ animus est, ejus generis materiam *Handæ mo-*  
sibi feligere soleant, quæ aut raritate *tivum.*  
delectat, aut utilitate ad finem illum,  
quem quisque sibi proposuit, colliman-  
te se commendat. Id ipsum accuratori mente me-  
cum ponderavi, ideo ejus generis materiam, quæ qui-  
dem in Jure nostro passim obvia, sed eam conditioni  
meæ perquam utilem, dum ordini Clericorum me af-  
ficiat.

A 2

sociatum agnosco, præ aliis eligendam existimavi, ita ut materiarum illarum exactiorem notitiam non modo mihi utilem, sed & pernecessariam fore, facile dijudicaverim. Profundiorem enim Clericalium Privilegiorum notitiam in reliquos etiam clericalis juris recessus trahi, nemo sanè inficias ibit, qui omnia circa militiam sacram jura & privas five speciales constitutiones, uno verbo, Privilegia à communi Laicorum Jure multùm recendentia considerabit. Siquidem Laici solummodo temporalia & quæ ad Politiam & quietem Reipublicæ, & quæ sunt ejus Administrationis pertinent, curant; Clerici vero in altiore locum sublimati pro Dei gloria & pro salute hominum & temporali & quād maximè æternā concatenatis precibus Ccelum pulsant, divinis officiis assidue vacant, sacra mysteria pertractant. Unde tantum honoris eorum ferè tribuitur, quantum Majestati Dei, cui inserviunt. L. 32. §. 4. ff. de recept. qui arbit. cuius ratione ab utrâque Potestate supremâ & Ecclesiastica & Sæculari eisdem varia privilegia tam quoad personas, quād res, ne a laicis quibusdam, nec scio quo spiritu inflatis, summè venerando Clericorum ordini non raro insensis, non attentâ eorum dignitate & Reverentiâ iis debitâ violentur, vili pendantur, supprimantur, jure meritissimo sunt collata.

## §. II.

*Etimologia  
Clerici  
definitio.*

Vox Clerici unde derivetur, constat ex *Can. 1. di-  
stinct. 21.* nempe a græco verbo κλητος, quod indicat fortē & hæreditatem, cum Personæ Ecclesiasticæ singuli-  
lari vocatione in sortem seu hæreditatem Domini sint ad-  
scitæ, ad sacra & religiosa destinatæ, & in Ecclesiâ Christi  
deserviant. Patet exinde definitio Clerici, quod nempe sit  
Mini-

Minister divino servitio authoritate legitimâ specialiter deputatus, atque à curis & negotiis saecularibus abstractus. Alia enim est professio clericorum, alia Laicorum. Hi temporalium curam habent, exerceant negociationes, mundum propagant, causas forenses tractant; Illi ab omnibus laboribus & functionibus mundanis separati, tanquam ministri, servi, domestici, dispensatores & speciales amici Dei, officiis & exercitiis spiritualibus jugiter inhärent, orationibus diurnis & nocturnis Deum placant & pro majore ipsius gloriâ & fidelium salute indefessam impendunt operam.

§. III.

Non tamen quilibet afferens se esse clericum, pro Afferens se  
tali habendus, sed iussu vel approbatione summi Pontificis, Episcopi, vel aliorum Ecclesiæ Prælatorum ad esse Clerici-  
cum, probat  
Clericatum in dubio se legitimare, eumque probare te-  
netur. Probatur autem Clericatus in regulâ per literas formatas, dimissoriales, aut recommendatitias propriae Prælati aut Episcopi. *Can. 7. dist. 71. L. 22. §. 2. C. de Episc. & Cleric.* per attestatum ex libro ordinatorum aut alio instrumento publico vel authentico legitime defumptum *arg. Cap. 15. & 16. X. de fid. instrum.* per depositionem duorum testium omni exceptione majorum, immo si de nullius præjudicio agitur, v. g. ad obtainendam licentiam privatim celebrandi, unus testis integræ fidei causam scientiæ reddens sufficit; similiter, si tertio non præjudicetur, per longam quasi possessiōnem ob habitum clericalem diuturno tempore gestatum; per famam publicam, concurrentibus aliis admīniculis, per juramentum afferentis in defectu aliarum

A 3

proba-

probationum, aliasque per conjecturas, quæ à prudenteris judicis arbitrio dependent. vide fusijs CARD. TVSCH. pract. conc. jur. lit. C. conc. 378. MASCARD. de probat. conc. 302. seqq.

## §. IV.

Clericis cir-  
cunvagan-  
tibus non  
facilè fides  
babenda.

Hinc non facile fides adhibenda illis, qui tales se esse afferunt, clericis vel monachis, qui è longinquis Regionibus sub specie Eleemosinæ pro redemtione captivorum Christianorum, exstrictione vel reparatione monasteriorum vel Ecclesiarum, aliòve prætextu Germaniam aliasque provincias in contemptum totius honorifici Clericorum ordinis pervagantur, sub quorum habitu enim non raro, experientia teste, proditores, fures, latrones, aliisque sceleribus coinquinati latitant. Prudens igitur Judex literas, quas ejusmodi circumcursores secum ferre solent, plures, an sint authenticæ Episcopi vel Superioris, a quo missi dicuntur, diligenter examinet, in circumstantias loci, temporis, personarum, an, ubi, quandò, quamdiù & a quo sacriss ordinibus insigniti, aliòve modo pro re natâ subtiliter inquirat, si duo, uti assolent, ostiatim vagari importune efflagitent, quemlibet separatim ratione omnium circumstantiarum exploret, si varient, aut sibi contradicant, falsa mendicitas & improba facile detegitur. Imo cum tanta major sit decipiendi facilitas, quanto remotior distantia locorum, summus Pontifex ALEXANDER III. in Cap. i. X. de Cleric. peregrin. decrevit, ut peregrinorum clericorum, seu alibi & in remotis regionibus prætensi ordinatorum litteræ testimoniales non aliter, quam si ad minus quinque

que Episcoporum super ordinatione suâ testimonio muniantur, fidem faciant, quæ constitutio non solum de clericis transmarinis de manihæismo suspectis, de quibus Canones in *dist. 98.* loquuntur, sed etiam de aliis incognitis spatio locorum intervallo remotis est intelligenda, hæc clericatûs in peregrinis probatio, ut adhuc hodiè observetur, malitia sæculi fraudibus plena suadet.

## §. V.

Notabilis est clericorum diversitas, alii enim sunt *Divisio  
sæculares, alii regulares; illi non ideo dicuntur sæcu-  
laris, quod negotiis sæcularibus se immiscere queant,  
ut potè quod instituto clericali repugnat, sed quod ci-  
tra professionem certæ regulæ in sæculo & inter ho-  
mines mundanos quidam conversentur & degant, at-  
tamen divino officio mancipati manent. Hi vero  
nempè regulares sunt, qui, postquam sæculo & mun-  
do nuncium remisere, specialem quendam vivendi  
modum cum emissione trium votorum substantialium  
juxta regulam à sede Apostolicâ approbatam sunt pro-  
fessi. Cap. fin. X. de Religios. domib. Aliter appellantur  
Religiosi, vocantur & Monachi, quamvis nomen Mo-  
nachi propriè non conveniat omnibus Religiosis, sed  
solum illis, qui vitæ contemplativæ dediti sunt, adeo-  
què mendicantes, cum assidue inter homines versen-  
tur, non sunt propriè Monachi, multò minus, qui ex-  
instituto sunt clerici five sacerdotes, quales sunt Cano-  
nici regulares & Religiosi Societatis Jesu. Alii Clerici  
dicuntur simplices, qui nec dignitate fulgent, nec per-  
sonatu potiuntur, nec in Ecclesia Cathedrali Canoni-  
catum*

catum obtinent; alii qualificati, quibus nobilior qualitas suffragatur, puta dignitas, personatus vel Canoniciatus Cathedralis.

*Appellatio-  
ne Clerico-  
rum in lege  
vel statuto,  
quicunq;  
comprehen-  
dantur.*

§. VI.

Vulgari equidem loquendi usu appellatione Clerici solum veniunt sacerdotes inferiores, sive qui ad clericum secundarium referuntur. Si tamen constitutio vel dispositio, Lex aut statutum generaliter de clericis aut personis Ecclesiasticis loquatur & de Legislatoris mente ex circumstantiis aut substrata materia non constet, qui & quales Lege latè vinculentur, distinguendum esse arbitror, num constitutio vel statutum odium vel favorem contineat? si materia fuerit favorabilis, comprehenduntur sub eâ omnes personæ Ecclesiasticae, tam sacerdotes quam regulares, atque ex his & mares & moniales, etiam eremiti, modo vota substantia juxta regulam approbatam Deo nuncupaverint, aut saltē authoritate Ecclesiastica regulari habitu amicti cuidam Ecclesiæ aut oratorio inferuant. Neutiquam vero illi sic dicti Eremitæ, qui pro suo lumbitu habitum assumunt, in locis remotis plerumque amoenitate conspicuis tuguriolum non raro speluncam & receptaculum malitiosorum hominum utriusque sexus sibi exstruunt, per sylvas, civitates, oppida & pagos vagantur atque Eleemosinas, ut eò commodius otio indulgere possint, extorquent. Dignius personis Ecclesiasticis annumerantur Canonissæ sacerdotes, quæ in Germaniâ nostrâ, & aliis provinciis reperiuntur, licet enim sine professione & votorum emissione in communi vivant, & earum status & vivendi conditio ab

ab Ecclesia non sit approbata; nihilo tamen minus cum ipsorum institutio non sit reprobata, sed potius tolerata in *Clement. attendentes. 2. §. illas verò de stat. monach. præterea Episcoporum visitationi*, quæ haud dubiè est actus jurisdictionis, subjiciantur, functiones quoque in officiis divinis perfolvant, haud indignè cætui personarum ecclesiastico in favorilibus & gratiosis assificantur. Ratio desumitur ex notissima juris regula, quod favores extendere, odia vero restringere oporteat. Exempla reperies in *Cap. 1. X. de juram. calum. Cap. 33. X. de sentent. excommunicat. Cap. 1. de sepult. in 6to. Trident. sess. 20. de reform. C. 3.* E contra, si materia fuerit penalis aut odiosa, constitutiones Superiorum sive statuta generalia ex recepta Canonistarum sententia seu opinione solum stringunt clerum secundarium sive Clericos simplices, utpotè qui appellatione Clericorum in materia odiosa solum veniunt, quia majores & digniores personæ sub generali clausula non intelliguntur. *Cap. 15. X. de Recript. Cap. 22. de Eleçt. in 6to. Cap. 4. de sentent. excommunicat. in 6to.* Sic si Archi-Episcopus omnibus Clericis inhibeat venationes, licet non sint clamorosæ, nimirum tamen frequentes, quibus negligunt officia divina, aliave ad statum suum pertinentia, talis prohibitio non tangit Clericos in altiore dignitate constitutos, ut Barones, Comites, Principes &c. ob quorum majorem Eminenciam ratione venationum etiam cum apparatu expediendarum ætas nostra ab antiquo Canonum rigore multum usu recessit.

## §. VII.

*Honestas  
Clericorum  
internæ.*

Cum igitur Personæ Ecclesiasticæ suam ipsi Deo indubitanter debeant originem *Can. 1. diss. 21. TRIDENT. sess. 23. de Sacrament. ord. Can. 6.* & uti, ante dixi, in fortè & hæreditatem Domini sint vocatæ, non amplius mundo, sed Deo vivere obstringantur necesse est, ita ut omnem, quam traducunt, vitam honestè & religiosè peragant, res sanctas dignè tractent, ab omni culpa præsertim gravi studiose abstineant, omnique virtutum genere divinam gratiam sibi concilient, ne ministerium, ad quod sunt destinatæ, supremo Numini reddatur abominandum, vel sæcularibus, quibus pio exemplo prælucere debent, exinde occasio scandali detur, quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores Laicos esse, quam clericos. *Can. 21. Can. 8. q. 1. TRIDENT. sess. 22. de reformat. Cap. 1.* Præprimis autem internæ honestati, conscientiæ nitori, & animæ puritati studeant, oportet, ex animo enim male disposito bona prodire opera nequeunt, neque Deo obsequium placere poterit, quod ex maculata radice progreditur. *Eccles. 15. v. 9. fuisus de hac interna Clericorum honestate tractant Moralistæ & Ascetæ, ad quos perfectioribus animi qualitatibus, ut omnes decet, studentes remitto.*

## §. VIII.

*Honestas  
Clericorum  
externæ.*

Internæ intentis honestati correspondere debet exterior morum compositio & spectata conversationis probitas, secundum monitum faluberrimum *CONC. TRIDENT. sess. 23. de reform. C. 1.* Sic enim, inquit, decet omnino Clericos, in fortè Domini vocatos, vitam more resque

resque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incestu, ser-  
mone aliusquè omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac  
religione plenum præferant, ut eorum actiones cunctis ad-  
ferant venerationem. Adeoque morum integritati stu-  
deant, quæ exposcit, ut gravitas, modestia & pudor  
singulis ex actionibus ac verbis eluceat, sint mansue-  
tudini dediti, nec faciles sint ad vindictam, temperantiaæ  
ac sobrietati studeant, ab Ebrietate & crapula se tem-  
perent maximè tali, quæ mentis inducit exilium, &  
libidinis provocat incentivum, unde detestandus ille  
usus provocandi ad æquales haustus & fœcundiores  
evacuandi calices. Cap. 14. X. de vit. Et honest. Cleric.  
Popinas, domos, conversationes & sodalitia suspecta  
devitent, Cap. 15. X. eod. mala enim societas bonos  
quoque vel depravare vel denigrare potest. Pareant  
monito sacræ scripturæ Num. 16. v. 26. recedite, ait, a tabernaculis impiorum Et nolite tangere quæ ad eos pertainent, ne involvamini peccatis eorum, ab omni libidinis  
vitio præcaveant, propter quod venit ira Dei in filios  
diffidentiaæ. Cap. 13 X. eod. Avaritiam tanquam cupi-  
ditatum & omnium malorum radicem, & idolorum  
servitutem, cane pejus & angue, fugiant, & detesten-  
tur, quid juvat, si terrenis lucris inhiantes cuncta di-  
stisqueant, extorqueant, corradiant, corrodant, magis-  
que opes, quam oves multiplicare allaborent? apud in-  
gratos quandoquæ & prodigos hæredes corrasa, uti lo-  
quuntur ENGEL. ad jus can. lib. 3 tit. 1. n. 14. & ZOES.  
eod. tit. n. 7. parum vel nihil fructificant. Incidit qui-  
busdam avaris auri vel argenti alchymici fabricatio,  
quam tamen, cum tendat præter fraudem in damnum

proximi & in grave præjudicium Reipublicæ, clericis sub pœnâ privationis beneficiorum & inhabilitatis ad ea imposterum obtainenda interdixit IOANNES II. in *extravag. spondent. de crim. fals. inter comm.* Parsimonia nunquam vituperanda, modò non transeat in avaritiam malorum fomitem.

## §. IX.

*Honestas  
Clericorum  
externa in  
habitu.*

Ad honestatem externam refertur habitus clericalis, et si enim, ut eleganter perorat CONCILIVM TRIDENTINVM sess. 14. de reform. C. 6. habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Quomodo autem iste habitus debeat esse qualificatus, in jure specificie non describitur. Conqueritur tamen TRIDENT. cit. loc. quod illo jam tempore tanta aliquorum Clericorum inoleverit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam detulerint publicè laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Quales & hodie fastuosa fronte gravitatem fingentes, & cum affectata quadam severitate junonios dimentientes gressus splendidiore vestium luxu scandalosè intumescere videmus. Propterea jubet Tridentinum, ut habitum honestum Clericorum ordini & dignitati congruentem locorum Episcopi adordinent. Interea prohibentur, ne Pannis rubris aut viridibus, vestibus fulgidis, diversis coloribus distinctis, fimbriatis, fibulis & corrigiis ex auro vel argento fabricatis utantur, & unguenta ad bonum odo rem

rem conciliandum applicentur, ne denique habitus ad pompam, fastum, vel vanitatem sit compositus. *Can. 5. dist. 41. Cap. 15. de vit. & honest. Cleric.* Hodie vestimenta clericalia censentur esse condecoria, si communi usui & consuetudini locorum, in quibus comorantur, corraspondent. *BARBOSA Jur. Eccles. univers. lib. 1. C. 40. n. 20.* Tonfuram sive coronam clericalem in medio capite portent, in memoriam coronæ spinae Christi Domini, vel in symbolum servitii divini, quod regium esse censetur, vel uti S. Hieronimus in *Can. 7. cap. 12. q. 1.* loquitur: *Corona clericalis significat regnum, quod in Christo exspectatur, ac depositionem rerum temporalium.*

## §. X.

Omnem igitur ornatum Clericos vitare præcipit *Comam aut barbam non nutrit.*  
Ecclesia. Hinc barbam & comam, quæ imitatur comam mulierum, nutrire sub poena Anathematis prohibuit *GREGORIVS IX.* in *Cap. 4. X. de vit. & honest. cleric.* ut nempe exterioribus symbolis testentur, se interiori voluntate blandimenta & voluptates saecularium contemnere, & vero Dei servitio addictos esse. Hinc ut cincinnatis crinibus femineo more pulvere cyprio perspersis & capitilo quadam unculo comis, si non cuti, infixo vix capitis coronam tegente, quæ nec frigus, nec calorem depellit, spectaculose incedant, non omnibus placet. Quamvis etiam clericis juxta *can. 57 de Consecrat. dist. 1.* non liceat absque rationabili causâ comam fictitiam sive capillos adscitios præfertim sub tremendo missæ sacrificio gestare; aliud tamen confuetudine introductum esse quotidie vide-

mus, potissimum in partibus septentrionalibus, quas majus frigus divexit. Atamen modernus noster Eminentissimus Archi-Episcopus & Princeps Elector Dn. IOANNES FRIDERICVS CAROLVS mense Aprili præteriti anni 1754. Clericis secundiariis, qui, si comis fictitiis fine probata rationabili causa caput obtegere afferant, ut quot annis Imperiale & respective florenum ad pios usus applicandum præstent, gratiosissimè mandavit. Annulis etiam digitos ornare inhibet Cap. 15. de vir. & honest. Cleric. nisi dignitas annuli usum in signum Matrimonii spiritualis & fidei admittat. Hoc autem dignitatis officium non est ad solas Dignitates, quibus jurisdictio vel saltem administratio cohæret, restringendum, sed probabilius latè accipiendum est, ita, ut etiam ad alia munera honorifica v. g. Doctoratum extendendum sit, quare Clericis Doctoribus, etiamsi actu non doceant, vel jurisdictionem exerceant jus annulum portandi non venit denegandum, quia in materia favorabili locum habet interpretatio extensiva, adeoque ad Doctoratum tanquam gradum honoris recte extenditur, imò Doctores in Universitatibus ritè promoti, si non ex jure communi, saltem ex privilegio jus gestandi annulum per illius insertionem in digitum in signum nobilitatis ac despositionis cum sacra Themide publico ritu consequuntur.

## §. XI.

*Exerceant officia & opera convenientia.* Ad honestatem Clericorum præcipue spectat exercitium officiorum & operum convenientium; Incumbit enim Clericis, ut officia divina reverenter devote, ad-

advententer ac industrie peragant, horas canonicas, non cito gutture murmurando, sed altâ & intelligibili voce canendo in choro, extra illum, id quod in collegiis potissimum collegiatis raro fieri deberet, elevata in Deum mente orando quotidie persolvant, sacris lectio- nibus, orationibus piis, aliorum instructionibus, ac prædicationibus, si beneficia curata habeant, aut ad cu- ram se obligârint, continuò se occupent, opera chari- tatis exerceant, largam manum in egenos & Paupertate pressos porrigan, insolenti lingua neminem, ne pu- fillos quidem, multò minis contra mansuetudinem realiter offendant, omnia in Dei cultum dirigant, & in omnibus salutem animarum pro posse & nosse pro- moveant. Igitur Clerici vel potius Monachi soli Deo militantes negotiis sacerdotalibus, & occupationibus mun- danis se non immisceant, nec fluctibus facili se im- mergant, nec suavi jugo observantia regularis abjecto, imo nihil habito, per curias Principum evagando di- scurrant, nec ut Potestatibus placeant, pro gratiâ im- petrandâ, conservanda vel amplianda salvificum impe- diendo propositum, utpotè quod pessimi sanè exempli est, animas quasi vendant. *Cap. 4. X. ne Cleric. vel Mo- nach. facultatib. negot. Clement. i. §. Quia verò de stat. Monach.*

### §. XII.

Quas inter mundanas actiones in *Cap. 3. & Cap. Studium ju- fin. X. cod.* Summi Pontifices Alexander III. & Ho-  
ris civilis  
norius III. studium juris civilis referrere, idque & Cleri- Clericis sim- pliciter non  
est prohibi- tum,  
cias sacerdotalibus & religiosis prohibere videntur, ex hac ratione, ne Regulares in angelum lucis se more solito,  
ut

ut ait Pontifex in d. Cap. 3. transfigurantes sub hoc  
prætextu de claustris suis se educant, & occasione  
scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus in-  
volvantur & à studio Theologiæ abstrahantur. Atta-  
men ista prohibitio alio in sensu non est admittenda,  
nisi quando Clericus vel Religiosus negligendo sci-  
entiam sacrorum Canonum & Theologiæ ad studium Ju-  
ris illum in finem unicè se applicaret, ut contra decent-  
iam Clericorum causas in foro perorare posset, aut in-  
ter strepitum tamen judiciales, quam extrajudiciales causa-  
rum profanarum Patronum se gerere vellet. Neuti-  
quam verò illa prohibitio locum invenit, si studium  
juris ad meliorem juris canonici & Theologiæ intelli-  
gentiam suscipiatur, discatur; Cessat namque hoc mo-  
do ratio prohibitionis in d. Cap. 3. allegata, imo ipsi  
summi Pontifices passim in decreto & decretalibus non  
deditigantur leges civiles allegare, canonizare, imitari,  
explanare, immutare, & juxta confessionem Lucii III.  
Pontificis in Cap. 1. X. de N. O. N. sacrorum Canonum  
statuta Principum constitutionibus adjuvantur, adeo-  
que utile, imo necessarium est, illas addiscere. Multò  
minus LL. civiles docere prohibitum est, nam all. cap.  
3. Et fin. tantum faciunt mentionem de audiendis &  
discendis legibus extra claustrum, de docentibus nulla  
reperitur prohibitio, propterea tanquam leges pœna-  
les, quibus excommunicatio dissentibus comminatur,  
strictè interpretari convenit, & ad docentes non sunt  
extendendæ, quia leges docere & homines erudire ad  
iustitiam legibus intentam non tam actio mundana,  
quam pia & meritoria est, & cum Professio Juris po-  
tius

rius coadjuvet studium Theologicum, ideo Clerici & Religiosi a studio Theologiæ non abstrahuntur. Proinde personis Ecclesiasticis gradus Doctoralis in jure civili recte confertur, id quod innumera præjudicia in Universitatibus potissimum antiquis ad id insuper specialiter privilegiatis testantur.

## §. XIII.

Præprimis adhuc fugienda sunt clericis omnia à Lusibus statui clericali indecentia. Hinc ab alearum, taxillo-  
rum aliquique lusibus, qui turpis lucri causa instituu-  
tur & potius fortunā, quam arte reguntur, abstineant,  
pecuniam pro honesta sustentatione adhibendam, even-  
tualiter etiam ad pios usus convertendam prodigaunt.

*Can. 5. 8. § 26. caus. 12. q. 1.* Insuper ex ejusmodi ludis, qui pendent solum a casu ancipiti, saepissime excitantur Tragœdiæ, a jucunditate incipiunt, desinunt autem in luctus & cædes, clericis omnimode evitandas. Interim tamen ludi artis & mixti, quos sæculum nostrum innumeros invenit, Clericis prohibiti non sunt, modo non lucri querendi, nimirum frequenter ac immodice in feras noctes cum periculo scandali, perditio- ne temporis in divinum officium impendendi cum notabili pecuniarum jaætura, sed tantum recreandi ani- mi causa, posita etiam pusilla, pecunia, ne vento lu- dant, illos exerceant. Vanitatum maxima vanitas sub habitu clericali vel monachali choreas ducere, histrio- nem agere, comœdiis potissimum obscenis & aliena- rum nuptiarum conviviis interessè, & illis se immisce-

C

re

re cœtibus, ubi amatoria cantantur & turpia, aut ob-  
ſceni motus corporum saltationibus efferuntur, ne fa-  
cris mysteriis deputati turpium ſpectaculorum aut ver-  
borum contagione polluantur. *Can. 19. diſ. 34.* Ar-  
mis ne ambitionis numerent gressus ſub pœna excom-  
municationis in *Cap. 2. X. de vii. Et honest. Cleric.* prohi-  
bitum eſt, imo Monachi, ſi fine exprefia licentia Præ-  
latorum arma intra ſepta Monasterii teneant, excom-  
municationem latae ſententiae incurront. *Clement. 1. §.*  
*quia vero de flat. monach.* Arma eorum fint orationes  
& lachrymæ. *Can. 3. Et 21. cauſ. 23. q. 8.* Sales, face-  
tias, dicacitatem, contumelias, detractiones, vaniloquia,  
& omnes verborum inanum pestes, quas vilissimum  
hominum genus detestatur, evitent. Non faſtuos &  
quasi majestaticis minis alios habeant deſpectui, non  
damniferis aliorum denigrationibus ſe commaculent;  
neque inflata arrogantia ambulent in magnis & in mi-  
rabilibus ſuper ſe, multo minus in vanitates & infanias  
ſalfas respiciant, fed in omnibus actionibus & omisſio-  
nibus ſaluberrimo decreto concilii Tridentini ſeff. 22.  
*Cap. 1. de Reform.* ſe humiliter ac devote ſubmittant.

## §. XIV.

Maxime adhuc dodecat Clericos tam ſeculares,  
quam regulares exercitium negotiorum ſecularium  
& commerciorum, quæ, licet ex ſua natura non ſint  
turpia, tractatio tamen eorum ſolis laicis competit.  
Quare officium Tabernariorū & emptiones vendi-  
tiones artificiales vel negotiatorias ſub pœna privatio-  
nis privilegii clericalis exercere prohibentur, atque in  
hiſce negotiationium queſtibus ſtatutis Patriæ ſe ac-  
commo-

*Negotiis ſec-  
cularibus ſe-  
non immi-  
ſcent, Et  
enim in  
emptiōnibus  
Et venditiō-  
nibus artiſ-  
cialibus ab  
ſtinent.*

commodare tenentur. *Cap. fin. X. de vit. & honest.*  
*Cleric.* Proinde negotiatores frumentarios in coëmendo frumento, tritico, hordeo, avena, lupulo, vino, cerevisia aliove frugum aut liquorum genere agere, caritatem in optativo exspectare & mordacis lucri causa vendere indecens est. Propterea Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini hic Erfordiae signifer anno 1656. die 20. Martii Clero Erfurtensi cerevisiae venditionem, quam in præjudicium civium Braxatorum sibi arrogarunt, gravissime inhibuit: o utram (textibus quibusdam ex s. scriptura Eccles. 27. v. 2. & 26. v. 28. & Jure Canonico dist. 88. Can. 9. præmissis) exclamat, omnes in sortem Domini vocati probe ad animum revocarent, & iniquitate negotiacionis non polluerent sanctificationem suam, quod his temporibus detestatur. EZECH. C. 28. v. 18. Christus vero MATTH. 21. v. 12. & etiam nunc cum amplissimo hujus urbis senatu cives fere universi conqueruntur, quando vident, Praelator, Canonicos, Religiosos & Vicarios in coquenda cerevisia turpe lucrum sectari, domos orationis in speluncas latronum, nec non sanctissimos Dei sacerdotes, posthabita sanctissimi ordinis prærogativa, contaminari in Tabernarios, Caupones & vilissimos Braxatores. Provocat deinde ad poenas in Clericos negotiatores in *Cap. fin. X. de vit. & honest. Cleric. Can. i. cauf. 14. q. 4. Can. ii. dist. 88.* statutas & arbitrio ordinarii juxta Tridentinum sess. 22. C. i. de Reform. majores imponendas, & pergit: ita & nos authoritate nobis ab ordinario concessa vigore præsentium vos omnes Clericos & Monachos in Domino hortamur, & præcipimus vobis, volentes, ut ab omnibus tur-

pi questu sub interminatione prædictarum pœnarum impostorum omnino abstineatis, vitam moresque vestros ita componatis, ut laici habeant, quod in vobis venerentur. Vos autem, cum ex seculo migrandum sit, dicere possitis cum Prophetâ: quia non cognovi negotiationes, introrbo in potentias Domini. Similes prohibitions post reductam civitatem ab Eminentissimis Archi-Episcopis & Principibus Electoribus Moguntinis IOANNE PHILIPPO in annis 1667. 1669. 1671. ANSELMO FRANCISCO anno 1680. 1690. LOTHARIO FRANCISCO & successoribus, nec non ab illustri Regimine authoritate Principali toties quoties prodita sunt, ut Clericis & secularis & regularis & ab alienando macerato hordeo & cerevisia minutim vel per dolia aut aversionem vendenda, aut loco mercedis vel debiti contracti danda sub pœna denegandæ schedulæ mäceratoriaë & Braxatoriaë, usque dum 50. imo 100. imperiales Eminentissimi fisco numeraverint, omnino abstineant. vid. Brau-Ordn. de anno 1680. §. 27. Et 1690. tit. 2. §. 6. ord. Regim. de anno 1743. d. 20. Martii. Provocant quidam ad expressas concessiones vel privilegium consuetudine obtentum, sed quæ, quodve, si doceri possent, per dictam tamen ordinationem braxatoriam de anno 1680. §. 26., mutato rerum statu in nihilum sunt redacta; omnia enim privilegia regulariter in voluntate expressa vel tacita concedentis requiescunt, adeoque etiam ab ejus moderatione vel cassatione, prout salus provinciae exigit, pendent, & semper intelliguntur sub clausula: rebus sic stantibus. BÖHMER. Consult. Et decis. tom. i. p. 2. Resp. 6. n. 9. ENENCK. de privileg. in generere

nere lib. 3. C. 2. n. 5. seqq. Maxime si concedens justis moveatur causis; siquidem Clerici ab omnibus præstationibus dominicis sunt liberi, Cives braxatores accisis aliisque oneribus publicis & privatis haud leviter sunt subjecti, illi ditescunt, hi depauperescunt, illis ad crescunt compendia, ærario publico dispendia, illos alit Ecclesia, hi negotiando sibi suisque sustentationem anxie querunt, quæ civibus vendendo a Clericis cerevisiam viliori pretio, quod ob libertatem præstationum possunt, subtrahitur, id quod sua natura improbum & Reipublicæ præprimis noxiun est.

## §. XV.

Clerici autem, si vitam statui clericali convenientem ducant, amplectenda amplectantur, peragenda per agant, omittenda omittant, fugienda fugiant, ab absti-  
nendis abstineant, & custodienda custodian, non paucis gloriantur juribus singularibus & Privilegiis, quæ nihil aliud sunt, quam constitutiones speciales a superioribus contra juris communis tenorem in favorem personarum, rerum & locorum latæ. Igitur illæ constitutiones sive concessiones extraordinarie aliquem juvent, indulgent aliquid extra ordinem, juris obseruationem relaxant, immutant solennia juris, contra juris subtilitatem subveniunt, molliunt legis rigorem, strictum jus seu juris rationem remittunt, detrahunt juri communi, Exceptionem personarum, rerum & locorum operantur. ENENCK. de Privileg. l. 3. n. 3. Varias Privilegia admittunt divisiones, quæ ex modo all. ENENCK. L. 2. C. 1. facile ediscendæ, illas solum attigisse sufficiat, quæ e re nostra esse duximus. Sunt enim

enim quædam favorabilia, alia odiosa, hanc distinctionem nan pauci improbant, & privilegia non alia, nisi favorabilia agnoscere videntur, sed frustra laborant & contra latini sermonis & juris Romani usum peccant. Exempla suppeditant L. 16. §. 4. de pœn. L. 40. de condit. indebit. Et infra §. 26. Alia sunt in ipso corpore juris clausa, alia extra illud reperiuntur, hujus divisionis naturam solus vocum sonus explicat. Alia sunt personalia, quæ personæ tanquam subjecto proxime sunt concessa, eidem inhærent, & cum illo exspirant, nec ad hæredem nec ad ullum alium successorem transeunt. L. 68. Et 106. de R. 7. Alia realia quæ rei vel causæ concessa, eidem immediate & directo inhærent, cum illa ad quoscumque possessores transeunt L. 3. §. 4. de censib. L. 4. ff. de jur. immunit. Tertium genus ex prioribus mixtum addi potest, quæ nec personalia penitus, nec etiam realia dici possunt, personæ quidem datur, sed non soli personæ adhærent, nec cum illa extinguntur, sed modo ad filios, modo ultra ad nepotes, interdum etiam ad pronepotes transmittuntur. Exempla leges in L. 3. ff. de Veteran. L. 9. §. 11. 12. Et 13. ff. de pœn. L. 3. Et 5. C. eod. L. 11. C. de quæst. Rei autem an personæ datum sit privilegium, ex mente & concessione dantis, verbisque & tenore Privilegii æstimandum est; multas quidem conjecturas, utrum in rem vel personam facta sit concessio, cumulat M E N O C H. Lib. 3. de præsumpt. præf. 103. Ait generaliter observandum est, si ratio & causa, ob quæ facta est concessio, conveniat soli illi personæ, personale est, vid. L. 12. Et 13. ff. solut. Matrim. Si vero concessio principaliter

paliter respiciat ipsam rem, reale est. *L. 196. de R. J.  
ENENCK. de Privil. lib. 2. C. 4. n. 53. seqq.*

## §. XVI.

Personæ igitur Deo consecratæ, si statui suo, uti *Gaudent  
diximus, congruenter vivant, præ cæteris Christianis  
plura semper præcipua habent. Eminent inter hæc pri-  
vilegium fori, quo gaudent omnes clerici & sacerdotes  
& regulares utriusque sexus. Can. 38. Caus. 11. q. 1. mult.*

*Auth. statutus. C. de Episcop. & Cleric. inio etiam in  
minoribus ordinibus constituti, si aut beneficium ha-  
beant, aut habitum cum Tonfura portent, simulque  
alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in  
Seminario Clericorum vel Universitate, de licentia E-  
piscopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos  
versentur. TRIDENT. sess. 23. de Reform. C. 6. Cle-  
ricus etiam, relieto clericatu, vel Novitus, qui e Mo-  
nasterio egreditur, ratione delicti in clericatu vel mo-  
nasterio commissi castigatur a judice Ecclesiastico, quia  
tempus delicti, quo adhuc delinquens gavifus est suo  
privilegio, inspiciendum est. L. 1. p. ff. de pœn. co-  
VARRUV. præd. quest. Cap. 31. n. 8. e contra si perso-  
na Ecclesiastica ante suscepitum clericatum vel profes-  
sionem religiosam in sæculo contraxerit vel delique-  
rit, judicatur a judice sæculari, si in fraudem legis, ut  
eviret pœnam vel implementum contractus, sæculum  
deserat, quia fraus & dolus nemini patrocinatur, &  
privilegium clericorum non debet esse fomentum &  
formes delictorum. Conf. L. fin. pr. ff. de re milit. Se-  
cus vero si clericatum aut statum monachalem citra  
omnem fraudem ex sancto Zelo & seria intentione &*

non

non facta simulatione, qua non alium, nisi sernet ipsum in propriam confusionem & damnationem, decipit, pie suscipiat, hoc in casu jurisdictio ecclesiastica fundata est, ex ratione, quia illi, qui una cum statu forum mutant, in foro deserto super actibus praeteritis regulariter non conveniuntur. *L. 12. pr. ff. de accusat.*  
*L. 4. §. 5. ff. de re milit.* famuli famulæque Clericorum utrum privilegio fori utantur, clare non invenitur decisum, quod servi proprie tales sive mancipia, quæ libertas Germaniæ non agnoscit, foro Ecclesiastico subjaceant, definitum est. *Can. 69. caus. 12. q. 2.* Probabiliter etiam defenditur, quod famuli Clericorum conductitii, qui ad tempus incertum vel ad longius tempus operas suas locant, vel gratis servitia præstant, ad Exemplum familie Academicorum & Militum, foro clericorum privilegiato gaudeant. *Cap. fin. X. de Offic. Archi-Diac.* Cui sententia adstipularer, nisi ordinatio Eminentissimi Archi-Episcopi Moguntini PHILIPPI CAROLI pientissimæ memoriae de 21. Febr. 1733. publicata obstareret, vi cuius omnes servi, familiares, & famuli extra officia domestica, imo & Ludimagistri in civilibus & criminalibus jurisdictioni sæculari subjecti sunt. Non tamen judici sæculari licet eos per vim ex ædibus Clericorum ob defectum jurisdictionis in eas sine licentia judicis Ecclesiastici extrahere. *LAYMAN. Theol. moral. lib. 4. Tractat. 9.*  
*C. 4. n. 10.*

## §. XVII.

*Non judicatur Clericus a judice CLAVIS tr. de potestate Papæ C. 35.* immunitatem Clerici sæculari.

Clericorum personalem, ut Regibus & Principibus sacerdotalibus aduletur, impugnare non erubescit. Clerici, garrit, per totum orbem, quocunque ordine vel gradu sint, non sunt ullo modo exempti & liberati a potestate temporali Principum sacerdotalium, in quorum regnis & regionibus vitam ducunt, sed perinde ac ceteri cives iis subjecti sunt in omnibus, quae ad politiam & temporalem administrationem & jurisdictionem pertinent. Ast huic adulatoriæ assertioni tota ferre & Theologorum & Canonistarum schola se opponit, & consentiente propemodum toto orbe christiano intrepide defendit, quod Eminentia Clericorum ex ordinatione divina & humana a Potestate sacerdotali & foro laico sit exempta, probat id ipsum cum pluribus aliis latissime COVAR RUV. tom. 2. præt. quæst. C. 31. cum refutatione argumentorum apparterent contrariantium; licet enim MATH. 17. v. 25. seqq., ubi Christus se ipsum & Petrum a tributo solvendo, quod est signum subjectionis, immunem pronunciavit, & soli Petro tanquam suo destinato Vicario MATH. 16. v. 19. & Apostolis, neutiquam vero Magistratui sacerdotali MATH. 18. v. 19 facultatem ligandi & absolvendi, proinde & jurisdictionem in personas Deo dicatas contulit, exemptione Clericorum haud obscure pateat, eandem tamen insuper ex jure divino esse ordinatam, ob traditionem & authenticam Ecclesiæ declarationem, cuius utique est de jure divino cognoscere, nemo in dubium vocabit. Clarescit hoc ex Cap. 4. de Censib. in 6to, ubi decidit Pontifex BONIFACIUS VIII, quod Ecclesiæ, Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum non so-

D

lum

lum jure humano, quin imo & divino a sacerdotalium personarum exactionibus sint immunes. item ex concil. lateranensi sub LEONE X. sess. 9. in Bulla reformationis, ibi: cum a jure tam divino, quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, quocum concordat CONCIL. TRIDENT. sess. 25. de reform. c. 20. ubi dicitur: Ecclesiae & personarum Ecclesiasticarum immunitatem a Dei ordinatione & Canonicis Sanctionibus esse constitutam. Hanc exemptionem jamjam antiquissima tempora, testante historia Ecclesiastica, agnoverunt; etenim Christianissimus Imperator Constantinus Magnus oblatos eidem accusationis libellos contra Clericos, iisdem convocatis, in ipsorum conspectu incendit, cum pia & digna imperantibus expressione: *Vos Dei estis a vero Deo constituti; ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut judicemus Deos.* Can. 41. cauf. 11. q. 1. Can. 5. § 17. ead. q. 1. Quem laudabiliter in clerum devotione fecuti sunt Impp. Valentianus, Valens & Gratianus L. 6. C. de Episcop. & Cleric. præprimis Imperator Fredericus, qui non tantum omnimodam ab oneribus personalibus, sed & absolutam exemptionem a foro sacerdotali tam in civilibus quam criminalibus in autb. statuimus. C. de Episc. & Cleric. stabilitivit, addita pena in actorem, ut si clericum coram judice sacerdotali convenientiam, actionem amittat, nec non in judicem, ut, si Clericum reum ad se vocare vel judicare præsumat, judicandi munere privetur. Argumentis, quæ a Clericorum orofibus in contrarium afferri solent, solidissime occurrit P. BÖCKH. in jus can. lib. 2. tit. 2. §. 4. n. 68. §. XVIII.

## §. XVIII.

Hila, quæ modo diximus, non solum procedunt, si Clericus actione personali, sed etiam considerato jure communi, si actione reali pulsatur, C. 4. de Censib. in 6to, licet enim actio realis non dirigatur in personam, sed ipsam rem profanam prosequatur, nihilominus tamen in ipsam personam sacram exercetur iurisdictio, non res inanimata, sed persona propter rem persequitur, quare & citatio in personam decernitur, ac jurisdictio non in rem vitae & Spiritus vacuam, quæ obedientiam & submissionem praestare nescit, sed in personam, quamvis ratione rei, exercetur. Constat enim, quod ea, quæ Religiosis adhaerent, religiosa carentur, ac bona conditionem personæ seu accessoriū suum principale sequantur. L. 43. §. de R. V. L. 28. pr. ff. de usur. Et fruct. Insuper cum Academicī juxta decisionem Electoralem Moguntinam de anno 1701. d. 12. decembr. etiam in causis realibus foro academico sint subiecti, non vidēnius, quare Clerici deterioris conditionis esse debeant, quam Academicī. Huic sententiæ contra quosdam civilistas, quorum agmen ducit GAIL. lib. 1. O. 37. n. 4. MYNSING. cent. 1. O. 22. firmiter inhärerem, nisi decisio Eminentissimi Archipiscopi & Principis Electoris Moguntini Philippi Caroli p. m. de anno 1733. d. 21. febr. obstaret, vi cuius clericī ratione bonorum immobilium civicorum titulo singulari vel universali acquisitorum judicem laicum agnoscere tenentur. Præterea in eadem hac decisione constitutio Electoris Moguntini Joannis Philippi de anno 1670. d. 5. septemb̄is est repetita, qua insignis illa

illa controversia, utrum Clericus in causis civilibus in foro sacerdotali reconveniri possit, affirmativa reperitur definita. Quamvis enim in Thesi loquendo exemptio Clericorum a potestate sacerdotali ex jure divino derivetur, & summo tantum Pontifici & Ecclesiæ Præfulibus potestas in Clerum a Deo sit attributa; interim tamen a supremo summi Pontificis arbitrio dependet, ut in hypothesi variarum circumstantiarum, quando nempe utilitas Ecclesiæ speratur, vel graviora mala ab ea avertuntur, Principibus & judicibus laicis expresse vel tacite aliquid juris possit indulgere, prout & laicos ad exercenda alia jura spiritualia v. g. ad jus praesentandi, eligendi, decimandi &c. habilitare potest, nihil propterea detrahitur libertati ac dignitati Ecclesiasticæ, cum laici ejusmodi in causibus non potestate propria, sed a summo Pontifice permissa, jurisdictionem in Clerum dependenter exercent.

## §. XIX.

*In Criminibus soli parenti judicii Ecclesiastico.* *Nolite*, ait sacer textus ps. 104. v. 15. *tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Hinc temerarium foret, si quis exemptionem Clero in Causis criminalibus adimere vellet, maxime enim illæ sunt personales, & ut sine strepitu & contentione fori sacerularis examinentur & discutiantur, Personarum Deo dicatarum dignitas & reverentia suadet, cujus reverentiæ memor pientissimus Imperator Constantinus M. in all. *Can. 41. caus. 11. q. 1.* ubi accusationes clericorum ad se igni mandavit, earum discussionem ad forum Ecclesiasticum remisit, & ne mundus scandalizetur, & unius Clerici peccantis dignitas respectu aliorum minuatur aut

aut vili pendatur, laudatus modo religiosissimus Princeps alia occasione ad imitationem filiorum puderorum Noë gen. 9. v. 23. qui paternam verecundiam contexere, dixisse refertur in Can. 8. dist. 96. vere si prius oculis vidissim sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachico habitu circum amicti sunt, peccantem, oblaudem meam expoliarem & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Hodie Clericorum osor non raro excludat: Puniantur publice in terrorem aliorum, afflentientes adulatores non desunt, clamoroso gutture erumpentes; recte, optime, poena infligatur publica, ut sentiant. Transeat hic procedendi modus in Clerico peccatore consuetudinario Evangelice jamjam monito, securus si occasionaliter vel malo spiritu seductus ex humana fragilitate lapsus fuerit. Non desunt etiam, qui personam Ecclesiasticam in servitio vel ministerio Principum saecularium, vel parochiae castrensis delinquentem aut excedentem punire sibi arrogant; sed Personae Ecclesiasticae, quamdiu manent tales, forum Ecclesiasticum retinent, nec illud, etsi alibi deliquerint, amittunt. Cap. 4. X. de judic. C. 13. X. de for. compet. quia qualitas clericalis, personis Ecclesiasticis indita, sicut illas absfrahit a communi Laicorum forte, ita etiam illas tanquam magis & potentius privilegiata sine respectu ad servitium eximit a jurisdictione Laicorum. Puntant quidam, Clericum ob falsum testimonium in iudicio saeculari dictum a judice laico coerceri posse juxta L. 4. C. de test. verum in ista generali constitutione, non continetur Clericus specialiter privilegiatus, nec jus civile ea pollet auctoritate, ut eum foro suo privilegia-

legiato privare queat. Turmatim etiam negant Canoniſtæ, Clericum criminis læſæ Majestatis reum posse puniri a Principe offendo. Cap. 4. § 10. X. de judic. sed ipſe in mortem Principis conspirans in Can. 19. cauſ. 22. q. 5. degradari jubetur, hoc facto, meritam iudex laicus poenam ei infligat. Sed si Clericus improbo conatu aliquid molieratur contra Rempublicam, vel in damnum proximi, vel in flagranti delicto deprehendatur, capture judici laico, ut malum a Republica vel proximo avertatur, & ne fuga delictum faciat impunitum, non est deneganda, verum in ordine ad inquisitionem & punitionem judici Ecclesiastico extradatur, necesse est.

## §. XX.

*In delictis  
mere feudali-  
bus obedi-  
unt judici  
feudali.*

Sed quid si Clericus Vafallus peccatum feudale committat? Causæ namque feudales ex antiquissima confuetudine, Ecclesia connivente & consentiente, di- iudicantur a judice feudalı. Cap. 5. X. de judic. Cap. 6. § 7. X. de for. comp. verum si deliquerit, vel est delictum mere feudale v. g. alienatio feudi inconsulto Domino facta, omissione petitionis investituræ &c. notio desuper competit judici feudalı, quia in delictis mere feudalibus non tam ad personam, quam ad causam privationis respiciendum, & cuius est cognoscere de contractu, ipsius etiam est cognoscere de distractu, si- ve de causis contractuum resolutivis. Vel est delictum commune, cui privatio feudi cohæret v. g. parricidi- um, prostitutio familiae Domini &c. tunc probabilius cognitio ad judicem Ecclesiasticum pertinet. 2. feud. 27. §. 1. quia delicta communia nullibi a jurisdictione Eccle-

Ecclesiastica sunt excepta, quod autem in materia immunitatis autoritate Pontificia expresse non est concessum, id omne censetur esse prohibitum.

## §. XXI.

Huic autem foro privilegiato ita alligatus est Clericus, ut neutri eorum eidem liceat renunciare; Laius nequit renunciare, cum qui libet juri in favorem sui solius introducto possit renunciare, neutquam vero Clerico, cum hoc privilegium non sit datum uni personæ, sed ad publicum totius ordinis Clericalis honorem spectat, cui ordini injuria irrogaretur, si Clericus, qui Laico dignior est, ab illo judicaretur. *Cap. 18. X. de for. compet. Can. 33. ¶ 42. caus. II. q. 1.* Quod eo usque procedit, ut nequidem juramentum ejusmodi prorogationem fori in Laicum justificet, quia, cum tendat in præjudicium totius venerabilis ordinis clericalis, non est obligatorium, sed pro illicito habetur. *Cap. 12. X. de for. comp.* ideo si Clericus alium clericum ad forum saeculare traxerit, causam civilem perdit, & si conveniri ultra se patiatur, deponitur vel saltem, quod sibi adjudicatum amittit; in causa vero criminali ab officio & beneficio deponitur, & judex saecularis cogens ad se clericum excommunicationem incurrit. *Cap. 2. X. de for. compet.* Quamvis priscis temporibus concedere Pontifices soliti fuerint Episcopis, ut si hi forte causarum temporali fuerint imperiti, vel nimium remoti, aut cause qualitas id suaferit, notionem judici saeculari committere valuerint. *Can. 3. ¶ 47. caus. II. q. 1.* id tamen hodie fieri posse, plurimi se fundantes in *Cap. 12. X. de for.*

*for. compet.* negant; hinc clericus suscipiens tutelam vel curatelam legitimam, licet ratione officii conveniatur, nihilominus coram Laico respondere non tenetur, quia indignum est, eum a Laico condemnari, in praxi tamen aliud observari testatur GAIL. lib. 1. O. 37. n. 7. COVARRUV. praet. quæst. Cap. 33. n. 6. Sed horum opinioni repugnat prohibitio generalis in *cit.* Cap. 12. X. de *for. compet.* Secus se res habet ratione evictionis praestandæ, si nempe Clericus rem vendidit Laico, hic si conveniatur, Clericus vendor teneatur ad defensionem laici emptoris coram judice laico, cum non primario agatur contra Clericum, sed contra emptorem laicum. L. 49. pr. ff. de jud. Hucusque de foro Clericorum privilegiato dicta plurima ex parte cessant in ministris Ecclesiarum Protestantium, utpote qui, extra negotia officium pastorale concernentia, judiciis sacerdotalibus in causis personalibus, criminalibus, & realibus sunt subiecti, & subditis annumerantur BÖHMER. Consult. Et decis. tom. 1. Resp. 36. n. 52. seqq. Et Resp. 106. n. 34. quod & hisce in locis ita observatur.

## §. XXII.

*Privilegium Canonis* Notissimum est privilegium Canonis, quod est prærogativa, qua omnes in sortem Clericorum relati & statui Ecclesiastico annumerati sacerdotes & regulares utriusque sexus, tam professi, quam novitii, qui de favore religiosorum participant, imo prima solimmodo tonsura initiati, sane etiam excommunicati, suspensi, interdicti aut verbaliter tantum degradati ab omni violenta percussione & injuriosa læsione specia-  
liter

*quid? ejus origo, Et quinam illo gaudeant.*

liter immunes pronunciantur. Hujus privilegii Ori-  
go tam quoad nomen, quam quoad effectum profluit  
ex Canone five constitutione Concilii lateranensis sub  
Pontifice INNOCENTIO II. relata in *Can. si quis sua-  
dente Diabolo 29. caus. 17. q. 4.* Ratio illius desumitur  
inde, quia in statu politico quædam dantur personæ  
sanctæ, in quarum violationem graves statutæ peccæ;  
ita jure meritissimo in statu Ecclesiastico Personas  
Deo sacratas violenta manuum injectione temerare,  
grande piaculum & sacrilegium est. De his enim, ma-  
xime si dignitati sacerdotali fulgeant, verificantur illæ  
sacri Codicis Paroemiæ: *nolite tangere Christos meos ps.  
140. v. 15. Et qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*  
**ZACHAR.** c. 2. v. 9. Adeoque si quis per se vel per  
alium Clericum occidat, mutilet, vulneret, vel alia ver-  
bera infligat, pallium aut pileum ei animo offendendi  
rapiat, vestimenta dilaceret, crines evellat, injuriose  
eum per vim detineat, eum ita prosequatur, ut fugi-  
endo in foveam ruat, aut ab equo dejiciatur &c. si  
Clericum majoris dignitatis etiam leviter ex contem-  
ptu percutiat, nasum contrectet, pugnam ori contu-  
meliose admovereat &c. ipso facto anathematis vinculo  
subjacent, nulli Episcoporum, nisi mortis periculo urgente,  
eum absolvere licet, donec Apostolico conspe-  
ctui præsentetur, & ejus mandatum fuscipiat, quæ poe-  
na locum habet, etiamsi Clericus in sui percussionem  
consentiat, uti enim privilegio fori, ita & privilegio  
Canonis renunciare non potest. *Cap. 36. X. de Sent.  
excommunicat.* Si tamen percussio fuerit levis facta pu-  
gno, palma, vel lapide, sed sine effusione sanguinis &

E

relicta

relicta cicatrice *Cap. 17. X. de Sent. excommunicat.* vel percussor fuerit senex, pauper, mulier, servus, filius-familias, aut impeditus, quo minus possit Romam vel ad legatum Pontificum pervenire, *Cap. 13. X. eod.* aut si læsio quidem fuerit enormis, sed occulta & nondum ad forum contentiosum delata *CONCIL. TRID. Ieff. 24. de reformat.* c. 6. absolvit Episcopus. In inferenda autem excommunicationis sententia circumspete & caute judex versetur necesse est, ne sine examinandis facti circumstantiis temere aliquem onerer, nam si causa non attingat mortalem gravitatem, excommunicatione non solum videtur injusta, sed etiam nulla, & contra iustitiam commutativam, quæ exigit, ut poena sit proportionata culpe.

## §. XXIII.

*Casus, qui  
bus cessat  
privilegium  
Canonis.*

Cessat autem poena, quando Clericus non tam ex vindicta, quam potius ex iusta defensione, cum mode-ramine inculpatæ tutelæ, percutitur. *Cap. 3. § 10. X. de Sent. excommunicat.* Afferunt quidem aliqui, si clericus alicui infligit alapam, non posse eum repercuere, nisi probabiliter alaparum reiterationem prævideat, sed illum mox repercutientem, cum difficillimum sit justum temperare dolorem, & talis Clericus, cum sit auctor injuriæ realis & contra mansuetudinem, quam semper comitem habere deberet, peccet, excusandum a poena esse existimo, idem statuendum esse puto, si Clericus insolenti lingua injuriose laceret laicun, hic animi fervore motus, concurrente justi doloris magnitudine, sine perfecta deliberatione, aut sine cogitata excommunicationis poena vel ignorantia illius reali-

realiter replicet; siquidem contumeliosis vel contemptuosis verbis lacesitus extra mentem est, & rationi non obedit ob dolorem acceptæ contumelia, ob quam natura eo motu insurgit, ut a se eam repellat, quocunque modo potest, etiam malum pro malo rependens.

ZACH. quæst. medico-legal. lib. 2. tit. 1. q. 6.

## §. XXIV.

Gaudent Clerici beneficiorum competentia ad exemptionem militum, quibus non deteriores esse debent milites Christi. Est autem hoc beneficium prærogativa Ecclesiasticæ multis passim oneratae, nec excommunicantur, nec incarcernantur, nec ad bonorum omnium cessionem coguntur, nec in plus, quam facere possunt, deducta congrua sustentatione, convenientur. Ex fructibus igitur beneficii, si quod habeant, & aliis bonis patrimonialibus portio ad honestam sustentationem sufficiens arbitrio judicis determinanda deducitur, reliqua creditoribus ceduntur in solutum; Clericus tamen bonis lapsus cautionem juratoriam præstat, de residuo integre solvendo, si fortuna pinguior & melior ipsi arrideat. *Cap. 3. X. de solut.* Haud enim indignum est, ut hoc privilegium Clericis, qui non minori favore sunt honorandi, ac milites sæculi, tribuatur *arg. L. 6. pr. 5 L. 18. ff. de Re Judic.* & competit illud de Jure Romano omnibus personis, v. g. Patri, Matri, Avo, Aviæ, marito, uxori, Patrono &c. quibus specialis reverentia ab actoribus debetur; ideo nec Clericis, qui ob Eminentiam status summe sunt venerandi, multo minus denegandum erit. *Can. 3. dist. 96.* quam si persona Ecclesiasticæ omnia

E 2

adime-

adimerentur bona, in dedecus status Ecclesiastici pa-  
nem ostiatim petere, vel sordidum quæstum exercere  
deberet; quare cum hoc privilegium non tam perso-  
næ privatæ utilitatem, quam potius totius ordinis cle-  
ricalis dignitatem & reverentiam respiciat, vid. T R I-  
DENT. *sess. 21. de reform.* C. 2. illi certe nullus Cleri-  
corum nequidem jurato renunciare valet. E N G E L. *ad*  
*Jus Can. lib. 3. tit. 23. n. 1.* Hujus Privilegii favorabi-  
lis participes sunt omnes clerici tam sacerdtales, quam  
regulares, etiam in minoribus ordinibus constituti il-  
lis in casibus, in quibus gaudet privilegio fori, adeo-  
que minorista conjugatus *Cap. un. de cleric. conjug. in*  
*6to.* & illi, qui Altari vel Ecclesiæ proprio ministerio  
non serviunt, ab hoc beneficio excluduntur. C O V A R-  
R U V. *var. Resolut.* lib. 2. C. 1. n. 9. quia tunc, quoad hoc  
privilegium pares censentur Laicis, & si omnibus mi-  
noribus ordinibus decoratis concederetur indiscrimi-  
nitam, in gravissimum dispendium creditorum redun-  
daret. Propterea provocans ad hoc beneficium inop-  
iam suam non quidem ordinarie, sed summarie ac sol-  
vendi impossibilitatem remonstrare vel per commu-  
nem famam & existimationem, vel per redditum pau-  
citatorem, vel per bonorum, quæ possidet, genuinam de-  
signationem, ostendere tenetur.

## §. XXV.

*Referuntur  
casus, in  
quibus ces-  
sat benefi-  
cium com-  
petentiae.*

Cessat vero privilegium competentiae 1) si actor  
rem propriam, quam Clericus possidet, sibi vindicet,  
vel commodatum, depositum vel pignus, soluto debito;  
repetat, quia juri naturæ adversatur rem retinere alien-  
nam. 2) Si criminaliter ad interesse publicum vel  
pœ-

pecnam pecuniariam fisco applicandam contra Clericum agatur, tunc si non habeat in ære, patiatur Corpus. Cap. 5. X. de dol. & contumac. secus est si pulsetur civiliter ad interesse partis; tunc ipsi refugium ad competentiæ beneficium non denegatur. 3) Sicuti de jure Romano neganti debitum in pecnam mendacii denegatur beneficium cessionis bonorum L. penult. ff. de cess. bonor. ita etiam Clericus, si judicialiter & pertinaciter id, quod revera debet, neget, competentiæ privilegio se indignum reddit, quia hoc beneficium tantum sincere recognoscensibus debita concessum est. Cap. 3. X. de solut. 4) Malitia sæculi quandoque suadet Clerico, ut bona ad solvendum creditoribus sufficientia occultet vel in fraudem creditorum more Bancoruptorum amoveat, hic censura vel carcere ad solutionem compellitur, cum ratio inopiae deficiat. cit. cap. 3. 5) Dolus nemini patrocinatur & jura non decipientibus, sed deceptis solent subvenire, hinc si Clericus fimbriata vel vermicolare veste amictus se laicum fuerit mentitus, vel multis divitiarum copiis se abundare falso jaetaverit, & aliquem ad credendum malitiose induixerit, aut bona sua in Creditorum fraudem studiose dilapidaverit, lusibus immodicis, abominando luxu, aut execranda luxuria bonorum substantiam amiserit, indignus est beneficio competentientiæ BARBOSA J. E. U. hb. 1. C. 39. §. 6. n. 24. 6) Præcipitur in all. cap. 3. ut Clericus bonis lapsus præster. cautionem, ut, si ad meliorem fortunam pervenerit, debita contracta solvat, hanc cautionem exactam si præstare recusat, hoc beneficium juxta probabilitorem perdit. 7) Quilibet Clericus, qui ob deli-

E 3

ctum

Etum amittit privilegium fori, puta, si histriponiam exerceat. Cap. un. de vit. S' honest. Cleric. in 6to. si ter monitus & punitus propter excessus enormiores perseveret in suo proposito Cap. 10. X. de jud. si criminis assassinii se commaculet Cap. 1. de homicid. in 6to idem etiam non gaudet beneficio competentiæ.

### §. XXVI.

*In Archidiœcœsi Moguntina, si quis creditur Clerico S' intra biennium non repeat, creditum perdit.*

Experientia a pluribus jamjam annis ad nostra hucusque tempora docuit, quod, clero defuncto, non noviora & antiquiora prætense contracta bonis ab ipso relictis inhiet, ita ut ob longitudinem temporis difficultatum sit, debita vera ab inquis separare; hinc evenit, ut certatim moveantur lites, quibus si non tota relitorum substantia absorbeatur, saltem ita diminuitur, ut parum vel nihil haeredibus remaneat, insuper creditoribus exactio difficilis reddatur, vel ad minimum solutio multos in annos non sine notabili ipsorum jaœtura prolongetur, imo & ipse Clericus, non attentata reddituum percipientium non sufficientium ratione, liberiori vivendi modo indulgens urbanioris notæ Creditorem, quem ditissimis promissis ad credendum inducit, sub ficta pietate & simulata animi sinceritate non infreque[n]ter defraudet. Verum ad has artes captatorias penitus avertendas Eminentissimus Archi-Episopus & Princeps Elector Moguntinus PHILIPPVS CAROLVS pientissimæ recordationis saluberrimam Constitutionem in favorem Clericorum & in cautelam bona intentionis creditorum, e contra in odium

odium illorum, qui fraudulentum acquirendi modum machinantur, in civitate Moguntina, reliquisque suæ jurisdictioni subjectis locis, d. 18va Octobr. anno 1742. publicari mandavit, vi cuius quilibet Creditor, quisquis sit, nulla habita dignitatis, status, conditionis & sextis ratio, si uni vel alteri his in locis ex Clero secundario crediderit, creditum istud intra bienii limites a tempore contracti debiti exigat, solutione vero denegata vel dilata, mox ad judicem Ecclesiasticum provocet, & creditum sollicitet necesse est, quo post lapsum bienii omisso, obligatio debiti, sive vivat, sive vixerit Clericus, exspirat, & creditum amittitur. Quam constitutionem Dominus modernus noster Eminentissimus Archi-Episcopus & Princeps Elector IOANNES FRIDERICVS CAROLVS die 27ma April. anno 1751. renovari, iterumque publicari gratiosissime jussit.

### S. XXVII.

Constat, quod literæ Cambii celerioris sint expeditio-  
nitis & paratisimam sine processu, sine libello &  
fine citatione literaria habeant executionem, nec fide-  
jusserem, nec pignora, nec aliam cautionem absque  
speciali Creditoris consensu admittant, sed comparens  
& recognoscens Cambiales, nisi solutio parata sit, mox  
custodiæ mandetur. ZIPFFEL tr. de lit. cambial. sect.

3. pag. 79.; Sed hunc rigorem ambo Eminentissimi  
Archi-Præsules & Principes Electores in s. preced. me-  
morati in allegatis ibi Constitutionibus ita tempera-  
runt in Clerico, ut si is forte necessitate quasi coactus,  
vel ad promovendam suam utilitatem commotus lite-  
ras

Literæ Cam-  
biales a Cle-  
ricis date  
non habent  
manum Re-  
giam.

ras dederit Cambiales, his effectus Cambii, quoad manum regiam sive quoad paratam executionem, & custodiæ traditionem sit ademptus, sed isti Cambio non nisi simplicis chirographi vis est reservata; propterea si Clericus ex Cambio sive a subditis, sive a forensibus conveniatur, rigori juris cambialis non subjacet.

## §. XXVIII.

*Clerici re-  
gulariter  
non fideju-  
bent.*

Quilibet masculus, qui contrahere & contrahendo se obligare potest, illi etiam pro alio fidejubendo astringere licitum est; Singulare est in Clericis, quibus, ne saecularibus negotiis nimium miscentur, aut litibus implicentur, vel periculum res suas amittendi incurant, aut occasio sanctis domibus damnum inferendi praebatur, vel sacra Mysteria impediantur, frequentes fidejussiones utroque jure prohibitæ sunt Cap. 1. X. de fidejuss. Can. 29. caus. 11. q. 1. Nov. 123. C. 6. Quamvis Prælati & clerici saeculares, cum bona possident propria simpliciter fidejubere non prohibeantur. Cap. 2. X. de fidejuss. quia fidejussio est actus charitatis & amicitiae. ECCLESIAST. Cap. 29. v. 18. modo frequentibus fidejussionibus sese non immisceant. In utilitatem Ecclesiæ quilibet Clericus recte fidejubet, uti & Clerici in maxima dignitate constituti, Cardinales, Archi-Episcopi, Episcopi, Præpositi, commendatores &c. Hi enim plerumque administrationem rerum temporalium habent, imo & pro Principibus & Statibus nonnunquam reputantur, dubium igitur non est, quin hi, præsertim moribus hodiernis fidejubere possint. vid. HERING. tr. de fidejuss. C. 7. n. 239. seqq.

## §. XXIX.

## §. XXIX.

Dignitatem clericalem patriæ potestatis vinculum *Clericatus* non disolvere haud pauci opinantur cum BERLICH. liberat a p. 2. conc. 11. n. 56. proinde filiis familias Clericis æque, *patria Po-teflate.* ac aliis sub patria potestate constitutis testandi facultatem de bonis post suscepsum sacram ordinem acquisitis adimunt; verum horum opinioni reclamant clarissimi textus Nov. 123. Cap. 19. Autb. Presbiteros. C. de Episcop. & Cleric. in quibus decisum legitur, quod Presbiteri, Diaconi & Subdiaconi res quolibet modo ad dominium eorum venientes in sua potestate habent ad similitudinem castrorum peculiorum, do- nent, cui velint secundum leges, & in his testentur, licet sub patria potestate sint, salva tamen parentum legitima; Ratio horum est, quia Clericus coelestis militiæ miles dicitur, per consequens, quod ex ista militia, vel occasione illius acquirit, peculii castrensis in- star se habet. Quoad ista autem bona, quæ Clericus habuit ante ordinationem, in antiquo Patris jure re- manent.

## §. XXX.

Non convenient Doctores, utrum in foro Ecclesiastico contra delinquentes Clericos, si indiciis vehe- *Clerici non mentibus gravati crimen fateri nolint, tortura locum torquentur.* habeat? Affirmant non pauci fundantes se in Cap. 1. X. de deposit: ubi Pontifex judicibus delegatis mandavit, ut Clericum ob loculos suspekte subreptos sub quæstionibus ad rationem ponant, nomine autem quæstionum juxta terminos juris intelligitur tortura. Alii Clericos ob delicta torquendos esse negant, exemplo

F

mili-

militum, Nobilium ac Doctorum *L. 4. C. ad I. jul. Majest.* Huic posteriori sententiae adstipulatur GONZALEZ. ad eit. Cap. 1. n. 5. ita ut personæ Ecclesiasticae neutiquam torqueri possint per ministrum Laicum nequidem de mandato judicis Ecclesiastici. *Cap. 24. X. de Sent. excommunicat.* neque per manicas, chordas, equuleum vel alio, quo Laici torquentur modo; sed sicuti Prælatis permittitur ex justa causa per se vel per alias personas Ecclesiasticas subditos Clericos vel Monachos verberibus excipere *cit.* Cap. 24. ita etiam illis loco adhibendæ questionis per disciplinas, imo per carcerem, jejunia &c. eo gravius quidem, quo delictum fuerit gravius, contra delicti suspectos procedere posse, permittendum esse videtur. vid. MASCARD. de probat. Vol. 1. Conc. 498. n. 8.

§. XXXI.

*Immunitate Personali*  
ne  
ce Personali  
gaudent  
Clerici.

Immunitate Personali quin gaudeant Clerici, nette Personali mo facile erit, qui eam in dubium vocabit, vi cuius omnes personæ Ecclesiasticae, quotquot ex Laicorum numero ad divinum servitium autoritate Ecclesiastica transferunt, cujuscunque sit sexus, ordinis, status & dignitatis a communi Laicorum subjectione, onere & obligatione eximuntur. *Cap. 2. X. de for. competent.* Autb. statuimus. *C. de Episc.* & *Cleric.* Hinc personæ Ecclesiasticae neque leges, neque mandata, judicia vel sententias Principum & judicium sacerdotalium, directe saltem observare tenentur, quia Legislatores sacerdotes respectu personarum Ecclesiasticarum potestatem legislativam non habent. Indirecte tamen sive vi directiva Clerus legibus sacerdotalibus se accommodet, necesse

se est, quatenus recta ratio a Jure Canonico agnita & probata dictat, ut Clerici & Religiosi tanquam membra Reipublicæ, licet privilegiata, allaborent conservare emolumumentum Reipublicæ, legibus pro bono communis latis se subjiciant & communia pondera, mensuras, monetas &c. obseruent. *Cap. 1. & 2. de N. O. N.*  
*Cap. 28. de privileg. de cetero ab omnibus oneribus & obligationibus v. g. a munere tutelæ, curatelæ, operis personalibus, teloniis personalibus, capitationibus, & a quibuscumque demum exactionibus, quæ personis qua talibus imponuntur, pronunciantur immunes.*  
*Cap. 4. & 7. de immunitate Ecclesie.*

## S. XXXII.

Reali etiam immunitate fruuntur Clerici, quæ est *Immunitate reali re-  
sticorum a communi laicorum onere & subjectione singulariter etiam geu-  
eximuntur. Sunt autem ejusmodi onera mere realia, sive mixta, illa dicuntur, quæ sine respectu habitu ad personam ipsis rebus sive bonis imponuntur, ab his oneribus bona ad Ecclesias vel monasteria ex fundatione vel dotationē pertinentia sunt libera, nisi necessitas aut utilitas publica aliud suadeat, nam si turba prædonum territorium vel provinciam, in qua morantur, invadat, vel hostilis exercitus devestationem minetur, si invalecant & insurgant hæretici, si bellum contra hostes patriæ gerendum, si pons aut fons sit reficiendus vel restaurandus, si fossæ & ripæ ad averendum ab agris communibus inundationis periculum sint reparandæ vel munienda &c. ab onere contributionis, autoritate tamen Ecclesiastica imponen-*

F 2 do,

do, se liberare haud valent. *Cap. 4. § 7. de immunitat.*  
*Eccles.* Quæ hucusque de bonis fundationis & dotationis dicta sunt, non pauci Canonistæ etiam ad bona Clericorum patrimonialia, & ad illa, quæ ex possessiōnibus Laicorum titulo singulari vel universali ad Ecclesiās vel Monasteria deveniunt, extendunt. *PIRHING.*  
*ad tit. de immunitat. n. 59.* *GONTALEZ.* *ad Cap. 4.*  
*X. eod.* Quoad onera mixta, quæ nec personis ut sic, nec rebus secundum se, sed personis subditis propter res & secundum proportionem patrimonii indicuntur, eorum impositio & obligatio dirigitur in personam, causa finalis est ipsa res, v. g. quilibet, qui in bonis habet mille florenos, annuatim solvat triginta. *L. 6.*  
*§. fin. § L. ult. §. 26. ff. de munerib.* Ad hæc onera Clericos nec jure canonico nec civilib[us] obstringi, communiter defenditur, uti fuisus demonstrat *P. BÖCKH.*  
*Tom. 2. lib. 3. tit. 49. n. 33.* sed cum profana Politicorum principia saepe ex odio, & invidia profecta, frigescente hocce saeculo charitate erga Clerum, huic opinioni sint contraria, hisce quæstionibus odiofis non immorabor. Quamvis ejusmodi onera, inter quæ etiam referrur census emigrationis, seu gabella detraetus, a personis Deo dicatis extorta quandoque parum vel nihil fructificant, potius splendidiore apparatu, numerosiore utriusque sexus famulitio, & superba cibi supra gustum delicati, potusve, tellure genitrice ejus remotissima, imaginarie supra modum generosi abundantia, quæ, si resurgeret, obstupefaceret antiquitatem, non raro inutiliter consumantur. vid. *KÖNIG*  
*ad Jus Can. lib. 3. tit. 49. n. 30.*

§. XXXIII.

## S. XXXIII.

Occasione bonorum Ecclesiasticorum eorumque *Lex amortizationis lib-  
tationis li-  
gem amortizationis libertati Ecclesiarum inimicam.  
Laudant M. Constantium Imperatorem, qui tot ope-  
ribus Ecclesiam amplificavit, tot egregiis muneribus  
auxit, tot honoribus & ceremoniis ornavit, unicuique corpora se  
licentiam dedit, sanctissimo venerabilique Concilio, bo-  
norum, quod optaret, relinquere, neque cassa judicia  
tant nefes-  
eius esse. L. i. C. de Ss. Eccles. Laudant justinianum Im-  
peratorem, qui inquit: *Si quis in nomine Magni Dei &  
Saluatoris nostri Jesu Christi bæreditatem aut legatum Ec-  
clesie reliquerit, jubemus, ut ejus loci Ecclesia, in quo testator,  
domicilium habuit, relictum capiat. Nov. 131. cap. 9.* Lau-  
dant Carolum M. qui ait: *ne cui liceat vel facultates Ec-  
clesis aut Monasteriorum vel Xenotochii, pro quacunque Ele-  
emosina cum justitia delegatas retentare, alienare, vel subtra-  
bere. Capitular. lib. 6. C. 134.* His pientissimis consti-  
tutionibus e regione obstat lex amortizationis, qua cas-  
sa fiunt judicia ejus, qui rem immobilem vult Ecclesiæ  
relinquere. In hanc legem tanquam antiquum Polit-  
corum inventum gravissime invecti sunt **S V M M I P O N-**  
**T I F I C E S** *Cap. 1. & fin. de immunit. Ecclesiar. in 610.*  
non minus ac SS. Patres, in specie D. **H I E R O N I M U S**  
*in Epist. ad Nepot. 7. p. 3. & s. AMBROSIUS lib. 5.*  
*Epist. 31.* Deplorant pia Corpora, viri religiosi, ac Vir-  
gines Deo dicatæ, quod non pluris, ac judæi tanquam  
infima plebs, cui bonorum immobilium comparatio-  
nem, ædibus exceptis, constitutiones politicae vetant,  
æstimentur; cum tamen bona, quæ ex pietatis & Reli-*

F 3

gio-

gionis motivo in Ecclesias conferuntur, Deo tribuantur, & Christi esse censeantur. LANCIL. opus. spiritual. 20. monit. 7. n. 27. Ostendunt pluribus, semper illos Principes & Republicas præ aliis floruisse, quibus immunitas cordi fuit, imo necessitatibus publicis magis consultum videri, si eis nullus acquisitionis obex ponatur; nam laboranti Patriæ certius ac validius succurri haud poterit, quam ab Ecclesiis, quæ, necessitate exigente, etiam ad media suppeditanda astringi solent; Harum enim res diligenter administrantur, alienationi non subjacent, & ne diminuantur, cura maxima adhibetur; Hinc de subsidio, si alia bona deficiant, Principes possint esse securi, nisi ipsi Ecclesias rigida lege reddere velint impotentes. Exclamant inanem illorum esse timorem, qui putant, quod, nisi lege amortizationis caveatur, eveniat, ut Ecclesiæ omnia paulatim bona coëmant & occupent, potius comparationem bonorum ab Ecclesia occasionem esse asserunt, ut plures familias suum splendorem retineant. Siquidem familia nobilis multos quandoque numerat filios filiasque, ex his plures sperantur posteri, qui nimia bonorum divisione depauperantur & familias splendor obnebulatur, quod assumpto Ecclesiastico vel Religioso statu evitatur. Non inficiantur quidem, contingere posse, ut opulentiores Ecclesiæ vel Monasteria coacervent bona nimis copiosa, atque his a judice competente frœnum injici posse, sed, cum plures Cœtus Ecclesiastici rerum admodum sint inopes, discrimen esse faciendum; restrin-gatur libertas ditoribus, relinquatur indigentibus, vel faltem juxta legem Caroli II. Regis Siciliae bona im-mobi-

mobilia cum onere suo transeant ad Ecclesiam. Pluribus prosequitur hanc odiosam materiam PET. PECK.  
*tr. de amortiz. honor. Cap. 6.* P. BÖCKH. *ad Jus Canon.*  
*lib. 3. tit. 49. n. 38.* MANTZ. *tr. de test. valid. vel inva-*  
*lid. tit. 6. q. 7. n. 25. seqq.* In castra antiquæ pietatis  
transirem, sed cum moderatione, ne bona civica vel  
rustica sine onere antea annexo monasteriorum alio-  
rumque piorum Corporum divitiis in immensum cor-  
rasis, comparentur vel manui mortuæ incorporentur,  
uti ante tempora Reformationum contigisse legitur,  
nisi Eminentissimorum Archi-Episcoporum & Princi-  
pum Electorum Moguntinorum ordinationes in spe-  
cie PHILIPPI CAROLI P. M. die 5. April. 1737.  
publicata, obstante, quæ ultima in Casum contraven-  
tionis poenam confiscationis minatur.

#### §. XXXIV.

Insuper in hac eadem ordinatione recipiendis di- *Quantitas*  
tioribus utriusque sexus & recipientibus ad Monaste- *a Novitie*  
ria aliumve statum religiosum quantitas iisdem infe- *monasterio*  
renda ita reperitur definita, ut ingressus vel ingressa *inferenda*  
divitiis potens, eorumque parentes vel Curatores, præ- *determi-*  
ter quingentos florenos Rhenanos pro religiosi habitus *nata.*  
assumptione, conuentis tempore assumpti habitus &  
professionis convivis, elocatione, aliisque impensis ne-  
cessariis, ultra mille florenos Rhenanos, sub pena con-  
fiscationis totius quantitatis illatæ vel inferendæ nec  
dare audeant, nec conventus admittere sibi arroget.  
Ingressis ditionibus præterea ultra hanc mille impe-  
rialium summam in omni & pro omni facultas dispo-  
nendi & plus Monasteriis de bonis suis quocunque ti-  
tulo

tulo seu prætextu, sive per modum ultimæ voluntatis, sive per donationem seu actum inter vivos, vel fiat directe vel indirecte, appropriandi in totum est adempta, sed reliqua bona mille imperiales transcendentia hæreditibus proximiорibus ab intestato usque ad quartum gradum inclusive (intellige probabiliter computationis canonicae) relinquuntur necesse est, his vero deficientibus residua attribuuntur ærario fisci. Hucusque dicta tantum concernunt ingredientes ad ordinem religiosum divitiis potentes. Ratione pauperum vel minus habentium, vel illorum, quorum portionem hæreditariam cohæredum pluralitas diminuit, ordines religiosi nullo excepto ab alte præfato Eminentissimo Archi-Episcopo & Principe Electore expressum adhortantur, monentur, ut in recipiendis his potissimum indigenis minore bonis proportionata elocatione, ne sanctæ eorum vocationi ob bona temporalia impedimentum ponatur sub comminatione ordinationis severioris & positivæ hoc in paſtu ex officio Archi-Episcopali edendæ fint contenti.

## §. XXXV.

*In favorem etiam Clericorum Ecclæsæ & pia Corpora si- mul cum fi- cto in bonis ad- ministra- torum ante uxorum do- talia, para-* Experientia non raro docuit, quod officiales Principis & administratores piorum Corporum redditus sive in pecunia sive fructibus aliisque præstationibus perceptos, Juramenti præstati immemores in propriis usus convertant, vel Luxorioſo modo consument, Pe- rha etiam loca circumquietent, vel curriculo, concomi- tante uxore vel liberis vehantur, quoctunque locorum veniant, opiparis se pascant cibis, generoſo vino, aliis que

que delicatissimis se delectent liquoribus, Uxores eo-  
 rum artificiosis manuum pedumque gesticulationibus  
 & scenica totius Corporis compositione admirabundos  
 in se rapiant oculos, vestibus variegatis, ut pavones,  
 glorientur, potionibus ex fabulis arabicis cremore la-  
 eteo permixtis indies terque quaterque Palatum oble-  
 gent, oesophagum, stomachumque supra satietatem ad-  
 impleant, atque per tam lautas tamque effusas epula-  
 rum perbene sapientium impensas, & per tam splendi-  
 dam vestium pompad Maritorum crumenas clam, vi,  
 preario ita emungant, ut proprii redditus & salaria ad-  
 sustentationem non sufficiant, bonorum substantia di-  
 minuat, dissipetur: Quid postmodum? Consuetudo  
 laute vivendi radicata parsimoniam naufragat, pecunia  
 eorum administrationi, fidei ac periculo commissa ab  
 ipsomet Administratore vel uxore vel liberis vita gul-  
 sae assuefactis intervertitur. Rationes si reddantur, pri-  
 mo alterove anno Recessus se demonstrant tolerabiles,  
 mentiuntur eosdem esse in cassa, vel esse residuos apud  
 debitores, a Revisoribus pie creditur, vel discretionis  
 tempore collati Officii memores iis connivetur, vel Ra-  
 tiones ita sunt obscuratae, ut, ubi dolus latet, vix enu-  
 cleari queat; sequentibus annis augetur residuum non  
 raro in immensum. In rei veritatem accuratius inqui-  
 ritur & invenitur marsupium inane, imo Capitalia, da-  
 tis Schedulis mortificatoriis, dolose sunt dilapidata. Re-  
 cessus cautionem, si quæ idonea fuerit præstita, enor-  
 missime excedit. Quid demum? uxor & liberi rapi-  
 unt, amovent, occultant pretiosa, aliaque portabilia; Ma-  
 ritus vero ad beneficium fleibile cessionem honorum

G

con-

confugit. Moto concursu primo se sistit uxor saepius  
principalis dissipatrix, dotalia & paraphernalia, quae in-  
ter his in locis ratione prælationis non datur differen-  
tia, repetunt, absorbent non raro totam superstitem  
mariti substantiam, quam vi legalis Hypothecæ cum ju-  
re prælationis de Jure Romano præcipuam habent L. 12.  
*C. qui pot. in pignor. Nov. 97. C. 3.* Ficis & pia corpora,  
quorum pecunias lauta convivia & vestimentorum  
splendor devorarunt, non sine insigni detimento rece-  
dunt inania. Quare Eminentissimus Archi-Episcopus  
& Princeps Elector Moguntinus PHILIPPVS CARO-  
LVS gloriose memoræ justissimis ex rationibus com-  
motus fisco sive ærario Principis omnibusque piis Cor-  
poribus contra quoscumque credidores etiam hypothe-  
carios anteriorem hypothecam sive expressam sive ta-  
citam habentes, in specie contra Administratorum uxo-  
res ratione dotalium per constitutionem die 12. Octob.  
1741. in toto Archi-Episcopatu & Electoratu Mogun-  
tino publicatam privilegii primipilare concessi, vi  
cujus ærarium fisci, Ecclesiæ, Hospitalia, Xenodochia,  
Orphanotrophia aliaque pia Corpora in concursu in  
prima classe, præsolutis expensis judicialibus, sumptu-  
bus funeris, Medicorum & Pharmacopolarum & mer-  
cedibus famulorum de ultimo tantum anno, loco quar-  
to locantur. Itaque Uxores, sive pro Maritis legaliter  
fidejussierint, sive non, ratione bonorum dotalium fisco  
& piis Corporibus postponuntur. Quam saluberrimam  
constitutionem Modernus noster gloriofissime regnans  
Eminentissimus Archi-Episcopus & Princeps Elector  
Dn. JOANNES FRIDERICVS CAROLVS  
die

die 10. Maii 1751. non solum confirmavit, sed etiam  
ulterius declaravit, ut fiscus non tantum in bonis dota-  
libus, sed & in paraphernalibus imo & receptis admi-  
nistratorum uxoribus in concursu præferatur, in qua  
constitutio licet tantum fisci mentio fiat, quin tamen,  
cum voci: D O T A L I A strictam voluerint affingere in-  
terpretationem, etiam ad pia Corpora ob parificatio-  
nem eorum cum fisco in prima constitutione sit exten-  
denda, dubius vix hæreo.

## §. XXXVI.

Ad præcelsa Digitatis Imperioriae Regalia refer-  
tur jus primiarum Precum etiam ratione personarum  
impertrantium singulare, quod novo Imperatori aut Re-  
gi Romanorum per modum primæ petitionis in qua-  
libet Ecclesia Metropolitana & Collegiata intra fines  
sacri Romani Imperii in respectum dignitatis & pro-  
pter defensionem Ecclesiarum, quam in se suscipit, ex  
inveterata consuetudine Apostolica autoritate robora-  
ta, personam aliquam idoneam ad unum tantum bene-  
ficium vacans vel vacaturum semel nominandi compe-  
tit. Harum Precum formulam, quæ adhuc hodie ob-  
servatur, exhibet BESOLD. in Thesaur. præst. verb. pri-  
marie Preces. AHASV. FRITSCH. Exercit. de primar. pre-  
cib. mantiss. i. Hoc jus exercet Imperator vel Rex Ro-  
manorum per semet ipsum vel mandatarium, imo non  
raro facultatem nominandi personam qualificatam con-  
cedit Principibus Imperii, diplomata tamen expediu-  
tur in Cancellaria Imperatoris & nomine illius. Vir-  
tute harum Precum hæc facultas non solum in Terri-  
torio Principis Catholici, sed etiam in Provinciis Prin-

Jus Prima-  
riarum  
Prcum  
competit  
Neo-Electo  
Imperatori  
in omnibus  
Ecclesiis in-  
tra fines S.  
R. Imperii,

cipum Augustanae confessioni addicitorum, quia in Pacificationibus & conventionibus Imperii nullibi ei adempta invenitur, modo nominet personam Religionis confortem FRITSCH. Exercit. de primar. precib. cap. 4. n. 1. seqq. HERMES. fat. jur. publ. Cap. 11. n. 13. & licet Imperator in Ecclesia vel Cathedrali, metropolitana vel collegiata una alterave vice etiam per plures annos usus non fuerit, propterea tamen illud jus, nisi per lapsum temporis immemorialis, non utendo non amittit. arg. L. 2. ff. de via publ. Imperatricem jus primariarum Precum habuisse afferit FRITSCH. cit. Exerc. C. 3. n. 15. formulam earum refert diff. de August. Roman. Imperat. C. 8. n. 3. Recommandatitiae suisse videntur. Praejudicia hodie non occurunt.

## §. XXXVII.

*Preces con-  
seruntur  
Personae  
qualificatae  
etiam verbo tantum vel figuratura non exspira-  
rat, licet ante expeditionem Cæsar moriatur, sed ex-  
peditio ad obtinendum plenum effectum pertinet ad suc-  
cetiam verbo cesseorem. Cap. 39. X. de Rescript. quia gratia Imperialis per  
tantum nec solam signaturam ante litterarum expeditionem per-  
morte Imperatoris exspirant.* ficitur, dummodo vox vel gratia summi Pontificis aut  
Principis registrata sit, in lingua enim Principis stat  
gratia, & in scriptura testimonium, forma literarum  
autem non est essentialis, sed tantum probatorialis.  
HERMES. cit. loc. n. 23. Multo minus Preces, si Imperator moriatur, antequam Precista ob beneficium  
nondum vacans actualem naclus fuerit possessionem, uti  
aliqui somniant, exspirant, siquidem summus Pontifex  
CLERMENS XI. in literis ad plura Capitula Ecclesiarum

rum Cathedralium & Collegiarum die III. Martii M DCC XIV. directis exprefie declaravit, ut primariae Preces a Rege Josepho, dum viveret, expeditae suum integrum ac plenum effectum retineant; modo tamen Precista qualitates ad beneficium de jure communis aut in fundatione requisitas habeat. Hinc natura beneficii per Preces immutari non potest, ut si in Ecclesia omnes debeant esse Comites, Barones, Nobiles vel Doctores, vel Presbyteri &c. alium nisi his qualitatibus praeditum non nominat Imperator, quia ius Ecclesiae convellere non potest.

## §. XXXVIII.

Adeoque personæ sufficienter qualificatae, si impe-  
tratum Recriptum Cæfareum Ordinario Collatori aut Capitulo collegialiter congregato insinuaverit, postmo-  
dum beneficium vacans intra mensem a die notæ sibi  
vacans de-  
negari non  
potest.  
illud etiam cum dignitate, excepta primaria, qualibet contradictione ceflante conferatur necesse est, prout copiosius in formulis primiarum Precum videre licet. Preces tamen non extenduntur ad beneficia natura sua regularia, nec ad Monasteria monialium. De Precistis Archi-Episcopalibus, qui solummodo Turnum Capitularium fistunt, fusior esse nolo veniam speratus a candido Lectore, si forte erratum, aut ejus sententiae non ubique fuerit subscriptum. Deo Triuni  
fit interim in omnem æternitatem

L. H. &amp; G.

G 3

COROL-

# COROLLARIA.

I.

- P**rescriptio annuarum præstationum, sive ex actibus inter vivos  
sive ultimæ voluntatis proveniant, 30 vel 40 annis compleetur.
- II.** *Judex illum, quem privata scientia scit esse innocentem, licet  
publice probatus fuerit nocens, condemnare non potest.*
- III.** *Advocatus, licet bonam causam foveat, adversarium tamen do-  
lo, vel fraude circum venire ei non licet.*
- IV.** *In loco Contractus non convenitur debitor, nisi ibi reperiatur.*
- V.** *Confessio solius Prælati ex necessitate officii facta præjudicat Ec-  
clesię.*
- VI.** *Confessio agonizantis præjudicat sibi & heredibus suis, non tertio.*
- VII.** *Juramentum judiciale semel delatum & acceptatum a de-  
rente revocari nequit.*
- VIII.** *Si litigato fuerit in bona fide, res judicata in utroque foro  
& in. & externo vim suam retinet.*
- IX.** *Prælatus Ecclesiasticus rem mobilem vei immobilem Ecclesie le-  
gatam repudiare non potest.*
- X.** *Prælatus Ecclesie alienans rem immobilem vel mobilem pretiosam  
sine solennitatibus de jure canonico requisitis sive in semet-  
ipsum, sive in tertium nec in foro externo, nec interno tutus est.*
- XI.** *Donatio simplex subjacet collationi.*
- XII.** *Succesio pacititia bodie est valida.*
- XIII.** *Ad formam essentialē Matrimonii verba de praesenti precise  
non requiruntur, sed sufficit internum consensum per signa  
qualiacunque manifestari.*
- XIV.** *Nepos hereditatem avitam adire, & paternon repudiare  
potest.*

XV.

- XV. *Nepos, ante cujus matritatem parentes avitæ hereditati pro se & liberis renunciarunt, ayo succedere nequit.*
- XVI. *In immobilibus secundum iura rei sita succeditur, secus Iudicium secundum praxin in mobilibus.*
- XVII. *Uxor quoad Dispositionem patris inter liberos habetur pro persona extranea, adeoque nec legatum nec fideicommissum ei in ejusmodi testamento relinqui potest.*
- XVIII. *Filius hereditatem paternam allodialem repudians in feudo non succedit.*
- XIX. *Exceptio non numeratae peccuniae etiam post biennium opponitur, si creditor sit in mala fide.*
- XX. *Difficultas solvendi excusat debitorem a mora.*
- XXI. *Transactio ob immodicalem lesionem rescinditur secundum aquitatem.*
- XXII. *Immunitas a tributis & oneribus nequidem per prescriptionem immemoriam acquiritur.*
- XXIII. *In actione negatoria onus probandi Reo incumbit, licet sit in quasi possessione servitutis.*
- XXIV. *Vidua, que portionem statuariam accepit, propter debitum a marito contractum conveniri nequit.*
- XXV. *Consensus domini feudalis ad venditionem datus ad oppignorationem non est extendendus.*



Magnus

**M**agnus Alexander pedibus substernere mundum  
Ausus, en hunc sequeris Relligione magis,  
Cum solide Cleri specialia jura probasti  
Nescio pro sacra Relligione parem.

gratulabundus apponere voluit

J. M. B. S.

**L**argita est geminas mater natura volucri  
Alas; extensis his volat, alta subit.  
Doctrina & virtus sunt Alæ; provida Divum  
Quas humeris voluit nectere cura Tuis.  
**S**TRECKER es; ex etymo geminis his utere; ho-  
norum  
Exemplo Patris culmina ad alta vola.

Hæc Domui Streckerianæ devinclissi-  
mus apponere voluit gratulabun-  
dus augur

J. P. V.

**S**unt enim vero sua Jura, Clero  
Pagina hic grata, bene vindicata;  
Quippe pro charis calamis avaris  
Quisque stat aris.  
Haud Chori obscurum Decus es futurum  
Diva te P̄almos superos ad almos  
Musa præclare docuit sonare  
Nec quid amare,  
Dicier quod ni mereatur alti  
Spiritus dignum: faciat benignum  
Numen in clero tua Jura vero

Vivere fero.

Posuit in Documentum singularis Ob-  
servantie honoratissimo Domino  
consanguineo ac Commillioni suo

A. J. T.

**ULB Halle**  
005 355 710

3





B.I.G.



Farbkarte #13

8

7

6

5

4

3

2

1

0

Centimetres  
Inches

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

0

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSESSATIO IN AVGVRALIS CANONICO-  
IVRIDICA

DE

1753,2

# IVRIBVS CLERICORVM SINGVLARIBVS,

QVAM

EX DECRETO ET AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ET PERANTIQA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI

SVB PRAESIDIO ALTISSIMI  
PRO GRADV DOCTORALI  
EIQUE ANNEXIS PRIVILEGIIS, HONORIBVS  
AC IMMVNITATIBVS

RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

A V C T O R

IOANNES ALEXANDER BERNARDVS  
STRECKER *Erfordiensis*

ECCLESIAE COLLEGIATAE AD B. M. V.  
CANONICVS DOMICELLARIS

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI  
*Die XXVI. Maii M DCC LV.*  
HORIS CONSVENTIS.

ERFORDIAE  
Litteris HERINGIANIS ACAD. TYPOGR.